UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dispvtatio De Statv In Qvo Sint Beatorvm Animae Post Hanc uitam, ante ultimi iudicij diem

Dévay Biró, Mátyás

[Nürnberg], [1537]

VD16 D 1300

Condem. Censvrae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34195

Visual Library

Et ipsi stentorea uoce clamant: Ad firmandum cor synce rum sola fides sufficit. Vel ex his pijssimus quisq; poterit iudicare, uter nostrum dicat, scripturis & doctoribus magis consona. Et dicit Frater me in hoc loco non malitia, sed multis literis (quod non agnosco) ad tantam insaniam adductum, & Euripi instar sursum ac deorsum labitur. Opera dicit Fideista, non excludit a fide, sed fides cum operibus iustificat. Ergo nõ sola fides. hæc Frater. Sed cum dico solam fidem iustificare, excludo opera a iustificatione, a caussa, & transfero caussam iustificationis ad fidei beneficium, non excludo bona opera, sacramenta, uerbi auditum a sequela. Credo bonis abunde me purgatum esse, & cum doctoribus idem sentire, enthimematis partem ex suo consuit Frater.

PROPOSITIO XXII.

Sola fides habet laudem apud Deum.

CENSVRA.

Fides habet laudem apud Deum, sed non sola.

CONDEM. CENSVRAE.

HAec instar thematum, breuiter, nec satis scio quando fratribus communicaui, meas tamen esse positiones agnosco, sed Frater omnia confudit more coci. Nunc ad propositũ. Est discernẽda persona & opus. Fides personæ habet laudem apud Deum. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum, Rom. 4. Et 2. Circunciſio cordis circunsio est, cuius laus est a Deo, non ab hominibus, cum sola fides sit quæ nos gratos facit Deo, sola

Roma. 2. et 2.

sola etiam habet laudem a Deo. Opera sic laudantur, si proficiscantur ex fide, sin uacas fide, mera peccata sunt, ut illius Pharisæi, Lucæ 18. Luc. 18.

PROPOSITIO XXIII.

HOnos mortuorum sanctorum in sola imitatione consistit, ut eorum fidem, sanctam conuersationem, bona opera, integritatem, patientiam, uitæ innocentiam referamus, Rom. 4. Galat. 3. Thess. 2. Hebræ. 6. & 13. 1. Petri 3. Rom. 4. &c

CENSVRA.

SAnctorum honor non cosistit in sola imitatione ut fingit ex scripturis. Impudens est derogare sanctis, impudentius scripturis in suum errorem uti, impudētissimum allegare scripturas in locis in quibus non sunt.

CONDEM. CENSVRAE.

ET in hac propositione tumultuatur uehementer meus Sophista, & quia isti sub sanctorum nomine aqualiculos suos farciunt, timet plurimū ne amittat prædam. Sed uelit nolit, omnia uictura est ueritas. Hi sunt filij Abrahæ, qui sequuntur uestigia fidei Abraham. Rom. 4. Cognoscite ergo, quoniam qui ex fide sunt benedicētur cum fideli Abraham. Item, hi sunt filij Abrahæ, Gal. 3. Si filij Abrahæ estis, opa Abrahā faciatis. Ioan. 8. Hanc aūt tentationē ideo permisit dominus euenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti, Hiob, Thobiæ Hebræ. 6. (Nam perperam notauit Frater in quinto) Verum, imitatores eorum, qui fide & pœnitentia hæreditabunt promissiones. Roma. 4. Galat. 3. Ioan. 8. Hebre. 6.